

## EPITOME LIBRI XL.

Quum Philippus liberos eorum, quos occiderat, conquiri obsides iussisset, Theoxena, pro liberis suis et sororis admodum pueris verita regis libidinem, prolati in medium gladiis et poculo, in quo erat venenum, suasit iis, ut imminens ludibrium morte effugarent: quod quum persuasisset, ipsa se cum viro e nave in mare praecepitavit. Certamina inter Philippi Macedoniae regis liberos Persen et Demetrium referuntur: et ut fraude fratris sui Demetrius confictis criminibus, inter quae accusatione parricidii et affectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus est; regnumque Macedoniae mortuo Philippo ad Persen devenit. Item res in Liguribus et in Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas continet. Libri Numae Pompilii in agro L. Petillii scribae sub Ianiculo a cultoribus agri, in arca lapidea clausi, et Graeci et Latini, inventi sunt; in quibus quum plura, quae dissolvendarum religionum, praetor, ad quem delati erant, legisset, iuravit senatui, contra rem publicam esse, ut legerentur servarenturque: et ex senatus consulto in comitio exusti sunt. Colonia Aquileia deducta est: Philippus, aegritudine animi confessus, quod Demetrium filium, falsis Persei alterius filii delationibus impulsus, veneno sustulisset, et de poena Persei cogitavit, voluitque Antigonum potius amicum suum successorem regni sui relinquere. Sed in hac cogitatione morte raptus est. Regnum Perseus exceptit.